



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Institvtio Virtutum & vitiorum sacri uerbi Dei
declamatoribus admodum vtilis et necessaria**

Ammiani, Sebastiano

Venetiis, 1562

Adulatio uitanda est r[ati]onibus quatuor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30415

illum columnam in templo. &c.
 Tertius est caro, quam debemus
 vincere per continentiam. Sicut le-
 gemus apud Ioannem. Ecce equus
 albus, & qui sedebat super eum uo-
 cabatur fidelis. Equus est corpus
 mundum. Vnde in euangelio admo-
 niti sumus. Sint lumbi uestri præ-
 cincti &c. Et huic debetur palma,
 sicut reperitur. Qui uincit sic, ue-
 fietur uestibus albis. Quartus est
 inobedientia, quem debemus uin-
 cere per obedientiam. Vnde pro-
 uerborum 21. dicitur. Vir obe-
 diens loquetur uictoriam. Huic de-
 betur uictoria, sicuti in Apocalipsi
 habemus. Qui uicerit dabo ei po-
 testatem super gentes, & reget eas
 in uirga ferrea.

Apo. 16.

Luc. 12

Apo. 3

Pro. 21

Apo. 3

*Adulatio uitanda est ratio-
 nibus quatuor.*

Prima est, quia docet hoc scri-
 ptura, ut in prouerbiis scri-
 ptum reperimus. Ne lactes
 quemquam labis tuis. &c. In Pro-
 uerb. quoque dicitur. Ante mor-
 tem ne lactes quemquam. Et Pau-
 lus adulationem abhorrens, ad The-
 salonicenses uiros dicebat, Neque

Pro. 24.

Pro. 24.

1. Th. 3.

aliquando fuimus in sermone adulationis. Secunda est, quia nulum deo displicet. Vnde apud Salomonis Prouerbia scriptum legimus.

Pro. 17

Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est

Auguf,

uterque apud dominum. Magna (quit Augustinus) ira dei est, ut desit correptio, & adfit adulatio. Tertia est, quia diabolo multum placet, quod tribus rationibus ostendi potest. Prima est, quia cum non possit hominem tribulationibus, uel aduersitatibus, siue tentationibus deicere, eum oprimit adulationibus. talis namque naturæ est aduersarius & antiquus hostis, ut quod se propriis uiribus haud proficere conspicit, per linguas nobis adulationem seuire incipiat. Quæ quidem linguæ animas alligant in peccatis.

Auguf,

Vnde Augustinus ait. Sepe enim plus nocet lingua adulatoris, quam manus persecutoris. Secunda, quia adultores homicidæ sunt, & proflatores, qui sub specie osculi, sicut Iudas, hominem diabolo tradunt, & sub specie amicitiae eum interficiunt, qui bene per Ioab significatur. Qui dicens ad Amasam, saltemi frater, percussit eum gladio in latere, & effudit intestina eius in

terram. Vnde Augustinus dicit. Sepe enim adultores blanda facie decipiunt animas audientium se, & perpetua morte interimunt. Adultores igitur (dicit Diuus Hieronymus) ut inimicos caue. Tertia est, quia adultores, Ioculatores diaboli sunt, non permittentes eum in aliquo contristari. Vnde in Osea legimus per similitudinem. In malitia sua letificauerunt regem, & immundiciis suis principes. Sed reuertatur ad quartam principalem rationem, uitanda est adulatio, quia homini multum nocet. Duo namque mala facit. Primo quia odium hominum incurrit. Vnde legitur in Proverbiis. Qui dicit impio iustus es, maledicent eum populi, & detestabuntur eum tribus. Secundo, quia maledictionem etiam acquirat. Sic legimus apud Esaiam. Vae qui bonum dicunt malum, & malum bonum. Item legitur. Erunt qui beatificant populum istum seducentes, & qui beatificantur precipitati.

Auguf,

Hieron,

Osea 7

Pro, 24

Esa. 5

Esa. 19.
Hieron,

Vnde Hieronymus dicit. Benedictio adulatoris maledictionem infert.